

nem, Fridericum, Rupertum, Ludouicum, Iohānem & Stephanum. Rupertus
in ipso iuuentutis flore obiit, reliqui uero fratres inter se diuiderūt patris ditionem.
Ludouicus factus est elector, habuitq; uxorem filiam regis Cypri, & fuit execu-
tor concilij Constantiensis. Ottoni obuenerunt Mosbach & Numarckt, sed in
filio eius Ottone nomine, defecit hęc linea. Porro Friderico tulit sors Ambergā
Bauariae ciuitatem, mortuusq; est sine herede. Iohanni cessit in hereditatem Nu-
enborg oppidum Bauariae, & is reliquit filium nomine Christophorum, qui fa-
ctus est rex Danie, & obiit sine prole. Stephano obuenit Zweibrucken cum an-
nexa ditione, ductaq; Anna herede comitatuum Veldentz & Sponheim, genu-
it Ludouicum & Fridericum. Ludouicus, cognominatus niger, possedit Zwey-
brucken & Veldentz. Fridericus uero in possessionem accepit Diemern & co-
mitatum Sponheimensem. Huic Friderico successit filius Iohannes, Rupertus
uero alter filius, factus est episcopus Ratisponensis. Iohanni successit filius Iohan-
nes, qui nostro auo ducatui pr̄sidet, uir admirandi ingenij, & plurimis natura-
dotibus conspicuus. Porro Ludouicus elector genuit Ludouicum et Fridericū.
Ludouicus genuit ex filia ducis Subaudia Philippum in ipso iuuentutis flore,
moriensq; reliquit fratrem filij tutorem & principatus rectorem. Philippus fa-
ctus uir successit patruo, genuisq; multos filios, ex quibus primogenitus
Ludouicus hodie principatiū pr̄sidet. Hęc fortassis prope
diem in germanica lingua latius describemus.